

## §. VI.

*Sextus Modus, per Tabulas temporis diurni  
& nocturni integri.*

**P**Otest etiam in Tabulas redigi tempus integrum diurnum, & tempus integrum nocturnum, per omnia signa, & signorum gradus, & pro qualibet poli elevatione. Talem Tabulam ad binos gradus construxit P. Kircherus, pro elevatione poli Viennensi, quam dedimus supra in prima parte hujus Libri. Usus Tabulæ prædictæ, & aliarum similium facillimus est, ut ibidem explicavimus ex Auctore Organi; at minimè necessarium est illos adeo extendere, ut ibi factum, quia quantitas tam diurna, quàm nocturna, Signorum Borealium descendendum, cujusmodi sunt ☉, ♀, ♄, eadem prorsus est cum quantitate Signorum ascendendum, quæ sunt ♃, ♁, ♀. Idem intelligendum de Signis Australibus descendentibus & ascendentibus. Itaque dimidia pars Tabularum pro elevatione poli Viennensi constructarum sufficeret, si post descensum cum Signo, v. g. ♀, ascenderetur ordine retrogrado cum Signo ☉; & post descensum cum Signo ♃, ascenderetur cum Signo ♄ &c.

## CAPUT VI.

*Tabula quantitatis dierum & noctium, supputata ad ternos gradus omnium Signorum Zodiaci, & mensium anni, ab elevatione poli graduum 35 usque ad grad. 58.*

*Tabula  
quantitatis  
dierum &  
noctium.*

**H**Actenus indicavimus modos varios inveniendi quantitatem seu diurnam & nocturnam, seu semidiurnam & seminocturnam. Placet nunc subjicere Tabulas, continentes tempus semidiurnum & seminocturnum, pro Polaribus elevationibus totius Europæ, sed ad ternos tantum gradus supputatas, quoniam hoc sufficit, cum plerumque intra duos aut tres dies exigua contingat variatio quantitatis dierum & noctium.

§. I. Con-